

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XCIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

XCIII.

*Salutem per Christum, verum & unicum**Servatorem nostrum.*

CUM se commodus mihi offerret tabellarius, nolui ego, Reverende & Cœ-
 lendiff. D. Flinnere, committere, ut is prorsus sine meis literis inanis ad te
 reverteretur: licet nullas à te attulisset. Quæ vestræ cum Sacramentariis sint con-
 certationes, audimus & legimus. Gratias autè Deo agimus, cujus Spiritus publi-
 eam nos edere de Coena Domini confessionem iussit & compulit, atque oramus
 Deum, ut opus in nobis bene cœptum perficiat, vestrasq; Ecclesias à pessimo fer-
 mento Calvinistarum tutas, integras atque salvas custodiat. Nobis hic pugnan-
 dum est cum Adiaphoristis, Majoristis & Synergistis, atque etiam Semi-Sa-
 cramentariis, qui subinde novas & Religioni exitiosas excogitant locutio-
 nes, easque magno tum juventutis, & simpliciorum detrimento in Ecclesias
 voce & scriptis introducunt. Suntque in magna exstimatione in Aulis
 Principum, qui extrema nobis his corruptelis contradicentibus minantur, &
 subinde plures contra nos incitantur, quorum quidam nobis præla occlude-
 re student, quidam ad carceres & exilia conclamitant: interea tamen mi-
 rabiliter DEUS hætenus sine carnis brachio, nos conservavit. Habebitis igitur
 nos nostris precibus commissos, quemadmodum & nos vestri in nostris
 orationibus nunquam obliviscimur. Sæviit in vicino nobis oppido Islebi-
 ensi pestis per aliquot paucos menses, quibus ultra mille & sexcenta sunt ela-
 ta funera: D. M. Aurifaber interea Erfurdiam secessit, & præla propterea no-
 stra hoc tempore ociosa jacuere, auffugientibus propter luem omnibus ope-
 rariis. Paulo mitius apud nos pestis egit, nondum enim omninò ducènti ex
 meis auditoribus occubere: verum in Maritimis civitatibus ultra modum
 grassata hæc est Lues: Hamburgi circiter 40000. fuerunt funera. Rostochiï
 intra 4. menses 11000. Misereatur DOMINUS miseri sui gregis. Videtur Ger-
 mania magna imminere calamitas. Fortassis simul illam invadent Tur-
 ca, Bella civilia, contagia varia, fames & reliqua mala omnia: quæ sum-
 ma ingratitude & abusu verbi DEI catervatim attrahuntur: Ego cum meis
 mediocriter valeo. Teque igitur tuis cum omnibus diu optime valere ju-
 beo. Datæ in valle veteris Germanorum Regis Manni 1565. 3. Decembr.

T. 1.

Cyriacus Spangenberg.

Inscriptio.

*Humanissimo viro: Doctrina & pietate claro, D. M. Joanni
 Flinnere, Ecclesia Argentinensis ministro fideliss. Domino
 & Amico suo plurimum colendo.*

Dd 2

XCIV.